



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

V. Quid requiratur in poenite[n]te, ne informis sit eius Co[n]fessio, &
Sacerdotis absolutio inefficax.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Quid requiritur in poenitente, ne in-
formis sit Confessio, & Sacerdo-
tis Absolutio inefficax?

Quaestio

V.

SI quis huius Sacramenti fructus particeps esse velit, PRIMO necessaria est cordis poenitentia. Omnis enim homo (inquit August. de gustinus) qui suae voluntatis arbiter constitutus est nouam vitam, scilicet gratiae, inchoare non potest, nisi poeniteat eum veteris vitae.

Responſio.

August. de

consecrat.

dist. 4.

SECUNDO, non sufficit atteri siue detestari peccatum, propter ipsius turpitudinem, Gehennae metum, aut similem aliquam causam: Sed conteri oportet, hoc est, peccatum odisse debemus propter DEVM optimum. indignis modis à nobis offensum. Hoc patet ex illo Esaiæ: Ad quem respiciam, nisi

Esa. 66.

ad pauperculum contritum corde, & tremens sermones meos? Quod autem hac contritio ex amore DEI debeat proficisci, & non ex metu supplicij tantum, clarè attestatur S. Augustinus: Sine amore (inquit) DEI consequetur veniam, sine quo nemo vnquam inuenit gratiam?

Augu. lib.

de Confes.

TERTIO requiritur firmum animi propositum à peccatis abstinendi eorumque occasiones vitandi. Est enim Poenitentia, iuxta communem omnium Orthodoxorum Patrum sententiam, praeterita mala plangere, & plangenda iterum non committere.

H 5

Quem.

Caput IIII. De Confessione

Quemcunque hunc in modum suorum poenitet peccatorum; licet non sit vehemens, siue intensus admodum, & per longum tempus durans dolor: attamen abunde sufficit, cum ex opere operantis, tum ex opere operato, ad gratiam consequendam. Confirmatur huius rei veritas ex Cap. Qualis de Poenitentia. Vbi dicitur: Quantulumcunque & quantumlibet breui tempore gestam poenitentiam DEVS acceptat.

Qui verò hac à nobis exposita contritione caret; etiam si à Sacerdote absoluitur: Fructum tamen Absolutionis nullum, neque etiam iustificationis gratiam obtinebit.

Questio Cum attritio bona sit; & à DEO:
VI. nonne peccatori ad iustificationem sufficit?

Responso. SCIO attritionem malam non esse, nec hominem facere hypocritam, maioremque peccatorem, (vt calumniantur haeretici) sed DEI donum esse, ac Spiritus sancti impulsus; praesertim si adsit spes veniae, & peccandi voluntatem excludat: attamen ad iustificationem usque peccatorem non perducit sine Sacramento Poenitentiae; sed tantum ad DEI gratiam, in Sacramento Poenitentiae obtinendam, disponit.

Si itaque attritus desiderat obtinere gratiam re-